Amicissime Gravi

Avidis oculis perlegi Poematicon Petiti cujus participem me reddere Voluisti, multa equidem laude dignum. Vix hoc tempore reperiri posse existimo qui simile quid præstare possit. In eadem mecum sententia est Pater meus alioquin satis severus Censor hodiernorum Vatum, quibus et ego tempus non nimis libens impendo. Qui sunt inter illos optimi nimio intervallo distant à magnis illis antiquitatis archetypis quos imitari conantur. Heinsius quidem Pater, Grotius, Buchananus, et Jesuita unus et alter præstantia fuere ingenia, cæteri omnes vix tanti mihi videntur ut a Veterum lectione avocare quenquam debeant. D. Cuperus ab eo tempore quo redditæ mihi sunt tuæ Hagâ abfuit, ubi redierit ostendam illi Petiti opusculum. Magno ut bene conjectas desiderio tenebitur videndi ejus scripti quod de Columnâ Trajanâ Fabrettus edidit, sed quis eum desiderii compotem reddet? Bibliopolæ nostrates parum commercii exercent cum Italis, et sero ut plurimum ad nos deferantur quæ apud illos prodeunt. Quod Meursiana ista lucis publicæ vindicas bene de Literis mereris: Sed quid Cicero tuus? Impatienter fero tam lentè prodire editionem quæ cæteris omnibus longe præstitura est: damnum foret irreparabile si

Thott 1262 4°

© Det Kongelige Bibliotek, Kopenhagen
MS Thott 1262
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0513

mutilum remaneret illud opus per aliquem morta-
litatis casum. Mitto tibi cum hisce librum
Anaglyptorum Bartoli Santi quem diu est quod ex
eum finem seposueram, sed ut mitterem memoriâ
exciderat. adjunxi River cujusdam Ecclesiastae Poe-
mata quae ea mihi nuper in Batavicâ cum Principe
regenti dono obtulit. Si Petitus tibi videtur melioris
versus pangere, at meus quantum ad sudores illos
Chronosticha consarcinandi non concedet illi. Miraberis
ni fallor et miseraberis. Isti sunt conatus de quibus
Martialis

Turpe est difficiles habere nugas
Et stultus labor est ineptiarum

Bene vale amicissime Graevi et vive memor nostri
Hagae Com. 22. Jul. 1685.

Tibi ad omnia officia paratissimus
C. Huygens

P.S.

Postquam ista scripsi, fuit mecum
D. Ciperus cui libellum Petiti tradidi
dixit mihi vidisse se hic apud quendam
cui Westrine nomen librum Fabritti
de Columna —

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

© Det Kongelige Bibliotek, Kopenhagen
MS Thott 1262
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0513

LIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

© Det Kongelige Bibliotek, Kopenhagen
MS Thott 1262
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0513

A 03

Myn Heer

Myn Heer Graevius Professor
Historiarum in Academie
tot
Utrecht

fr.
met een Pack

Cui est Regi Britanniae a secretis.

© Det Kongelige Bibliotek, Kopenhagen
MS Thott 1262
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0513